N° 23.

LIBRI
περὶ φύσιος ἀνθρώπου
QVI INTER HIPPOCRATICOS EXTAT
CENSVRA.

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO AVGVSTO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE
ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.
CONSENSV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
SPECIMINIS INAVGVRALIS LOCO
PRO
GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS RITE CONSEQVENDIS

A. D. XXIIII. FEBRVARII CIƆIƆCCLXXXXVII.

OBTVLIT
AVCTOR
GEORGIVS MANVELI
BYZANTINVS.



IENAE
TYPIS STRANCKMANNI.

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

ΤΟΙΣ

ἘΙΛΙΚΡΙΝΟΙ͂Σ ΜΟΙ ΦΊΛΟΙΣ

ΚΥΡΊΟΙΣ ΚΥΡΊΟΙΣ

ΓΕΩΡΓΊῼ ΚΑΣΤΡΙΣΉΟΥ

ΤΩ͂Ι

ἘΚ ΘΕΣΣΑΛΟΝΊΚΗΣ

ἘΛΕΥΘΕΡΊῼ ΚΥΡΙΑΝΝΗ͂Ι

ΤΩ͂Ι

ἘΚ ῬΑΨΆΝΗΣ

ΖΉΣΗΙ Χ. ΣΤΈΡ. ΤΑΟΎΤΟΥ

ΤΩ͂Ι

ἘΚ ΤΥΡΝΆΒΟΥ ΤΗ͂Σ ΘΕΤΤΑΛΊΑΣ

ΤΟΥΤῚ ΤῸ ΒΙΒΛΊΔΙΟΝ

ἘΡΑΣΜΊΩΣ ἈΝΑΤΊΘΕΤΑΙ.

LIBRI

περὶ φύσιος ἀνθρώπȣ

QVI INTER HIPPOCRATICOS EXTAT CENSVRA

SECTIO I.

DE ORIGINE ET FATIS LIBRORVM HIPPOCRATICORVM.

1.

HIPPOCRATIS Coi, HERACLIDIS filii, nomine ſcripta LXXII circumferri, ecquis eſt, qui neſciat? Quae vero omnia eſſe genuina atque ab ipſo vetuſtiſſimo auctore exarata, ambigebat iam tota fere antiquitas, negaverunt plane recentiores auctores, argumentis et criticis, et hiſtoricis convicti. Hinc regulam quamdam atque canonem clariſſimi invenerunt auctores, vt libri, vere ab HIPPOCRATE ſcripti, curatius diſtinguantur ab iis, quos aut non conſcripſit, aut ſaltem non edidit. Ad hoc χωριζόντων genus praeprimis pertinent, qui ſtrenue laboraverunt in arte diſcernendi genuina a ſpuriis HIPPOCRATIS ſcriptis,

operam criticam aohibuerunt EROTIANVS *), GALENVS **), LEMOSIVS ***), MERCVRIALIS ****), HALLERVS †), GRVNERVS ††), GRIMMIVS †††) et SPRENGELVS ††††).

2.

Litteris quidem consignasse quaedam HIPPOCRATEM, HERACLIDIS filium, negare nemo potest, quanquam non multo inferior fuerit iis temporibus, vbi

Non-

*) Dictionarium medic. HENRIC. STEPHANI 1564, p. 5. ſeq. et EROTIANI GALENI et HERODOTI Gloſſaria in HIPP. ed. FRANZIO, Lipſ. 1789. 8.

**) Variis in locis, cum maxime in commentariis, iudicium criticum prodidit.

***) De optima praedicendi ratione L. VI. item iudicii operum magni HIPP. liber vnus, Venet. 1592. 8.

****) Cenſura Operum HIPPOCRTIS denuo edita locuplet. atque emendatior, Venet. 1585. 4. Etiam ad calcem l. De Morb. Puerorum Baſil. 1583. et in ipſa edit. *Opp.* HIPP.

†) In Bibl. Anat. Pract. et Chirurg. T. I.

††) Cenſura Librorum HIPPOCRATIS, Vratisl. 1772. ed. alt. 1775. 8. et in Bibliothek d. alten Aerzte, B. 1. et 2.

†††) Hippokrates Werke, B. 1 — 4. Altenburg 178.

††††) Verſuch einer pragmat. Geſchichte d. Arzneykunde, 1. B. Halle 1792. 8. Abſchn. 4. S. 212, f.

Nondum flumineas Memphis contexere byblos
Noverat — — — *)

et chartae papyraceae confectio a Graecis interpretibus in Aegypto degentibus inventa, primum Aegyptiis, deinde etiam Graecis nondum innotuerat. Invenerunt autem Graeci interpretes PSAMMETICHI temporibus (seculo VII. ante aerae noſtrae initium) modum, quo charta ex *cypero* papyro **) conficitur. Hinc facilior reddita descriptio librorum ad vulgum etiam descendit, quae ſacra antea a ſolis pontificibus colebatur ***). Ex quo colligitur ante Pisistratidarum aetatem librorum confectionem apud Graecos haud quaquam invaluisse ****), cum materie carerent Graeci, cui facilius et aptius litteras inſcriberent.

3.

Etenim ante Pisistratidas coriis animalium politis atque *μάλϑη* ſeu certa massa obductis, ſtilo ſigna et cha-

A 2 racte-

*) LVCAN. Pharſal. Lib. III. v. 224. Hanc veterum artem papyri conficiendi nuper reſtituit Nobil. DE LANDOLINA, Siracuſanus. Vid. BARTELS Briefe über Sicilien, 3. Theil, Götting. 1792. 8. S. 51. f. recentiorum artem deſcripſit Cl. WEHRS l. Vom Papier, den vor der Erfindung deſſelben üblich geweſenen Schreibmaſſen und ſonſtigen Schreibmaterialien, Halle 1789. 8.

**) De papyro cf. THEOPHRAST. Hiſt. Plant. IV. 9. p. 423. ed. STAPEL.

***) Cl. BÖTTIGER im Teutſchen Mercur. 1796. Stück 3. S. 322.

****) WOLF Prolegom. ad HOMER. p. LXXIII.

racteres exarabantur, vnde praeceptor, qui literas formare doceret, διφθεραλοιφὸς nuncupabatur. Διφθέραις autem libros confici non potuisse, Cl. WOLFIVS egregie docet, *), hinc γράμματα δημοτικὰ tunc demum invaluerunt, cum, διφθέραις antiquatis, charta papyracea ſubstitueretur **).

4.

Quanquam itaque HIPPOCRATIS, HERACLIDIS filii, temporibus charta ex papyro confecta, a Graecis interpretibus in Aegypto degentibus iam inventa esset, nondum tamen adeo vulgari vſu apud Graecos increbuit, vt libros magnae molis conscripsisse ipsum vero ſimile ſit. Quod quidem manifesto testatur GALENVS, testis prae ceteris idoneus, dum THESSALVM docet commentarios, quos pater in coriis et codicillis reliquerit, composuisse, atque haud pauca de ſuis, tanquam lacinias, ſuper addidisse. En ipsius verba ***)! Ὁμολόγηται γὰρ οὖν ἤδη καὶ ταῦτα συνθεῖναι Θεσσαλὸν, τὸν Ἱπποκράτους υἱὸν, τὰ μέν αὐτοῦ τοῦ πατρὸς ἐν διφθέραις τισὶν ἢ δέλτοις εὑρόντα ὑπομνήματα, προσθέντα δέ τινα καὶ αὐτὸς οὐκ ὀλίγα. Hinc etiam lucem accipit locus VARRONIS apud PLINIVM ****), ſaepius adductus

*) Ib. p. 61.

**) HERODOT. Lib. II. c. 36.

***) GALEN. De difficil. reſpirat. Lib. III. c. 1. p. 187.

****) Hiſt. Nat. Lib. XIII. c. 11.

ductus et male intellectus, quo ALEXANDRI demum temporibus inventam esse papyrum legimus. Id quod omnino ita intelligendum est, vt papyri inventio, apud Graecos in Aeegypto degentes ſatis diuque vulgaris, tum demum ad Graecos, maris Agaei aecolas, transivisse videatur. Hinc etiam THEOPHRASTVS dicere potuit *) ἐμφανέστατα ἔιναι τοῖς ἔξω τὰ βιβλία, h. e. *notissimam esse papyri confectionem apud exteros.*

5.

Cum ergo libri chartae papyraceae inscribi coeperunt, veterum etiam, vel coriis politis, vel rarius ſaltem papyro ipsi inscripta commentaria, a male feriatis hominibus transſcribebantur frequentius, quin falſa auctoribus clari nominis ſubſtituebantur. Accessit regum Aegypti PTOLEMAEORVM aemulatio atque indefessum bibliothecas Alexandrinas locupletandi ſtudium, quibus allecti homines lucri cupidi varios conscripseruut commentarios, imo veterum etiam, vel Hippocratis antecessorum, vel ipsius asseclarum, monimenta ipsi vindicarunt, vt celeberrimi medici auctoritate gloriarentur, quae alio nomine insignita, haudquaquam ita accepta vulgo viderentur. Atque ex hoc factum esse puto, vt, obliteratis incertorum auctorum nominibus, ἀδέσποτα ſcripta circumlata HIPPOCRATI vni, HERACLIDIS filio, quam maxime adscriberentur.

*) Hiſtor. Plantar. IV. 9. p. 423.

Vt vero antiqua carmina, quae a rhapsodis canebantur, inferiore aetate a famlia Homeridarum novis aucta, vni immortali HOMERO tribuebantur, famae et gloriae aucupandae gratia; ita veterum medicorum ſententiae et aphorismi, a familia Asclepiadarum memoriter accepti velutique per manus traditi aut διφθέραις consignati, ad posteros, praecipue ad ſcholam Hippòcrateam, transiverunt, quae ſententias hasce quam diligentissime collectas et transscriptas vni HIPPOCRATI, HERACLIDIS filio, vindicavit. Vnde hoc quidem vſu euenit vt totam librorum Hippocrateorum molem nequaquam in ſpurios et genuinos dirimere, aut vni alteriue ex familia Hippocratea hunc illumue librum adscribere possimus, ſed ſpissum volumen ſeptuaginta duorum commentariorum ab vniversa familia Hippocratea, et ante, et post HIPPOCRATEM, HESALIDIS filium, fuisse profectum persuadeamur. Fecit omnino aliquid ad consensum librorum huiusmodi producendum nominis HIPPOCRATIS celebritas et frequentia in familia medica. Etenim, praeter nostrum HERACLIDIS filium, inclaruit etiam nonnullis ſcriptis avus ipsius GNOSIDICI filius, qui libros περὶ ἀγμῶν et περὶ ἄρθρων consignavit *): Inclaruit etiam ſcriptis nepos, THESSALI filius **), inclaruit quartus HIPPOCRATES, DRACONIS filius, quin-

*) *Galen.* Comment. in HIPPOCR. L. de victu acut. p. 43.

**) Hunc alterum partem libri περὶ φύσιος ἀνθρώπου ſcripſiſſe DIOSCORIDES credidit. v. GALEN. Comm. in h. lib. p. 17.

quintus THYMBRAEI, ſextus PRAXIANACTIS filius, qui in vniuersum omnes Coi libros reliquerunt, nomine magni HIPPOCRATIS, HERACLIDIS filii, celebratos.

7.

Praeter hos etiam alii auctores, HIPPOCRATIS vnius nomine, vel ab eo vere ſcripta divulgaverunt, vel libros, quos ediderant, HIPPOCRATIS nomine ac auctoritate celebrarunt. Ita DIOCLIS Carystii vel ARISTIDIS Samii commenta de ſeptenariii numeri efficacia tributa ſunt HIPPOCRATI iam a fide dignis auctoribus *). Ita liber δοξῶν κνιδίων, cuius auctor EVRYPHON fuit **), posteriore aetate HIPPOCRATI ipsi adſignabatur ***). Ita libri περὶ φύσιος ἀνθρώπου altera pars, quam POLYBVS conscripserat ****), HIPPOCRATIS esse perhibebatur, liber περὶ σαρκῶν ab ARISTOTELE *****) ad eundem POLYBVM, HIPPOCRATIS generum, rela-

*) PHILO De mundi opific. p. 26. — IVL. POLLVC. Onomaſt. lib. II. c. 1. p. 153. Ad DIOCLEM vero CARYSTIVM melius refert melius refert hanc opinionem MACROB. Comm. in ſomn. Scip. lib. I. c. 6. p. 28. — ad ARISTIDEM, Samium, GELL. Noct. attic. lib. III. c. 10. p. 93.

**) GALEN. Comment. in HIPP. Epidem. lib. VI, t. 42. p. 455.

***) IVL. POLLVC. Onomaſt. lib. X. c. 23. p. 259.

****) GALEN. Comm. in h. l. p. 2.

*****) Hiſt. animal. lib. III. c. 3. p. 241.

relatus, iam in Hippocrateorum librorum ferie exstat. Liber περὶ διαίτης primus, a PHILISTIONE Locrensi profectus *), iam HIPPOCRATI feni adfcribitur.

8.

Multo maior iniuria nomini Hippocratico illata est, quum Attalorum et Ptolemaeorum regum aemulatione hominum pecuniae cupidorum vafritia commentis fuis nouissimis, tanquam HIPPOCRATIS fint, venditatis, magnopere ditaretur, cum infuper, prohibita papyri exportatione, coria Pergamena per necessitatem invenirentur **).

Ab his inde temporibus nata eft innumerabilis interpretum et χωριζόντων cohors, qui, obseruata differentia antiquorum et recentiorum librorum, quoad decreta et opiniones, a fe inuicem fegregare atque diducere in partes quasdam ftuderent, vt genuina alia HIPPOCRATIS, alia fpuria et a posterioribus fupposita haberentur. Quod quidem hominum genus alia etiam fedulitate inclaruit, lectionibus nimirum antiquis et obscurioribus nouas, quas faciliores et aptiores fensui putarent, fubstituendo: Quo potissimum nomine ADRIANI imperatoris aetate inclaruerunt ARTEMIDORVS CAPITO et DIOSCORIDES, cognatus ipsius ***).

9.

*) GALEN. De aliment. facultat. p. 311.
**) PLIN. Hift. Nat. XIII. c. 11.
***) GALEN. Comm. l. in libr. de nat. hum. p. 4.

9.

Talibus tamque grauibus vicisstitudinibus obnoxius fuit vulgatus, qui circumfertur, HIPPOCRATIS textus, vt nec EROTIANVS, nec GALENVS, nec, qui nostris temporibus in canona librorum Hippocraticorum quam ſtudioſiſsime inquiſiuerunt, MERCVRIALIS, FOESIVS, GRVNERVS aliique, quid vere ab HIPPOCRATE, HERACLIDIS filio, profectum ſit, quidue ab aliis, certo potuerint diiudicare. Variam viam in ſtatuendo pretio ingreſsi ſunt, mitiores cenſores multos libros ferri ac tolerari poſſe crediderunt, quos duriores iudices asteriſco notarent et reiiciendos putarent, durissimus omnium iudex GRVNERVS fuit. Id vnum vero ex communi opera conſecuti ſumus, vt, ſuppoſitis quibusdam integritatis legibus, veluti ad amussim reuocare liceat, qui et quales libri nobilissimo HIPPOCRATIS nomine digni vel indigni esse videantur.

SECTIO II.

DE AVCTORE LIBRI περὶ φύσιος ἀνθρώπου.

10.

Ex iis, quae in ſectione prima iam dicta ſunt, elucet ſine dubio, nec hunc librum genuinum esse, nec ita ad noſtra vsque tempora ſeruatum, vt mendis nullis, nulla lacuna, nullo denique additamento et vitio laboret. Quod

 etiam

etiam tum testimoniis auctorum fide dignorum, tum lectione libri ipsius satis superque efficitur.

11.

A Dioscoridis inde temporibus in duas dirimi ac diuidi debere partes hunc librum, tota antiquitas credidit. Alteram, et priorem quidem sectionem, ad verba vsque κατὰ τὴν ὥρην τὴν ἑωυτῷ κατὰ φύσιν ὄυσαν μάλιστα (p. 226. ed. Foës.) genuinam, alteram, eamque posteriorem a verbis inde, Εἰδέναι χρεὶ καὶ τάδε πρὸς ἐκείνοισιν (*ib.*), spuriam esse, et, quae a Dioscoride obelisco critico notata fuerit, inferiorem etiam aetatem sapere.

12.

Quod genuina vereque ab Hippocrate, Heraclidis filio, profecta sit prior libri sectio, Galenus cumque eo tota fere antiquitas inde demonstrauit, quod Plato iam doctrinae, quae in hoc libro contineatur, tanquam Hippocrateae, meminerit. Extat enim locus in Phaedro, qui saepius ad auctoritatem huius libri muniendam vsurpatus fuit *). Εἰ μὲν οὖν Ἱπποκράτη τῷ τῶν Ἀσκληπιαδῶν δεῖ τι πείθεσθαι — — Adlegantur a Platone sequentia Hippocratis verba: Δεῖ διανοεῖσθαι περὶ ὁτουοῦν φύσεως πρῶτον μὲν, εἰ ἁπλοῦν ἢ πολυειδές ἐστιν, οὗπερ βουλησόμεθα εἶναι αὐτοὶ τεχνικοὶ καὶ ἄλλους δυνα-



*) Phaedr. p. 211. ed. Basil. graec. 1534.

δυνατοὶ ποιεῖν. ἔπειτα δὲ ἂν μὲν ἁπλοῦν ᾖ, σκοπεῖν τὴν δύναμιν αὐτοῦ, τίνα πρὸς τὶ πέφυκεν εἰς τὸ δρᾶν ἔχον, ἤτίνα εἰς τὸ παθεῖν ὑπό του. i. e. „*Oportet de cuiusque rei natura considerare, inpri- „mis quidem, ſimplexne ſit, an multiplex id, cuius nos optamus arti- „fices eſſe, et idonei, vt alios efficiamus. Dehinc, ſi ſimplex ſit, con- „ſiderare facultatem ipſius, quam videlicet ad quid agendum com- „paratam habeat, aut quam ad patiendum ab alio.*“

Claſsicum hunc Platonis locum Galenvs autumat clariſsimum eſse argumentum genuinae libri huius indolis, quod nullo alio loco, Hippocratem ex natura vniuerſi corporis humani naturam explicaſse, neque eo modo, quem Plato citat, ratiocinatum fuiſse conſtet *). Quod quidem primum comparationem cosmogoniae cum phyſiologia ſeu *μακροκόσμου* cum *μικροκόσμῳ* ſpectat, plurimis omnino locis, praeſertim vero Aph. III, 18. et in libro *de aëre, aquis et locis*, germanitas aetatum et temporum anni vrgetur, quem quidem morem Pythagoras iam ſequutus erat **). Verba autem ipſa Hippocratis, quae adlegat Plato, nec in hoc, nec in vllo alio librorum Hippocrateorum, qui iam ſuperſunt, leguntur. Quae, ſi nec Galeni temporibus apud Hippocratem exſtarent, legebantur tamen a Platone in libro quodam Hippocratis poſtea deperdito. Galeni aetate enim permulti antiquorum libri, vel homi-

B 2 num

*) Galen. Comm. in h. l. p. 2.

**) Sprengel's Geſchichte der Arzneyk. Th. 1, S. 168. ſeq.

num malevolorum invidia, vel incendiorum terraeque motuum faevitia, vel blattarum tinearumque edacitate euanuerant. Id quod queritur manifesto in commentario eo, quem ad nostrum librum fcripsit *). Itaque ex his efficio, nec ipsi GALENO effe fidem tribuendam, dum his inductus argumentis genuinum credidit nostrum librum HIPPOCRATIS.

13.

EROTIANI testimonium **) tantum valet, quantum testimonia eiusdem auctoris de aliis libris, quos genuinos credit, quanquam manifesta adfint contraria argumenta.

GALENVS autem variis locis, tum commentarii in hunc librum, tum alibi vere genuinum effe hunc librum, priorem faltem eius fectionem, quae ad 240 lineas producta fit, audacter contendit ***). Imo antiqui commentatores, quos GALENVS citat, e. g. SABINVS, praeter adfcititiam partem, qua venae male defcribuntur, dubii haudquaquam fuerunt de genuina huius libri indole ****).

PAL-

*) .L c. p. 4.

**) Praefat. ad gloffar. Hippocr. p. 22.

***) Comm. in. libr. de nat. hum. p. 2. 4. 5. et De element. fec. Hipp. lib. I. p. 49.—52. — De dogm. HIPPOCR. et PLATON. lib. VI. p. 300. lib. VIII. p. 321. — De libr. propr. p. 366.

****) GALEN. Comm. in. h. l. p. 22.

Palladius quoque *), feculi feptimi auctor, et Macrobius **), hic quidem, adlegatis verbis ipsis, quae in hoc libro occurrant, testimonium quoddam genuinae originis adferunt. Neque inter recentiores defunt, qui eandem fententententiam tantis fub auctoribus amplexantur.

14.

Verumtamen non defuerunt iam Galeni temporibus, qui totum hunc librum iuniorem crederent aetate Hippocratea, quos passim quidem refutat Pergamenus, ingenue tamen, indicato libri argumento, adiungit: Εὔδηλον οὖν, ὅτι ὅλον τὸ βιβλίον ἐκ πολλῶν διεσκεύασται καὶ σύγκειται, i. e. „*Liquet igitur, vniuersum librum ex plurimis aliis esse con-„flatum atque compositum.*" Hanc quidem opinionem vero fimillimam, vt nostram etiam faciamus, cogunt nos plurima, eaque luculenta fane argumenta.

15.

Itaque quo minus primum Hippocrati tribuamus ipsi, Heraclidis filio, hoc commentarium, impedit nos dissensus antiquitatis de auctore, quem alii faciunt Polybum, alii

 Thes-

*) Schol. in Hippocr. L. de fract. p. 918. ed. Foes.

**) Saturnal. lib. VII. c. 5. p. 508. ed. Pontan. L. 1628.

Thessalum Hippocratis magni filium, alii demum Hippocratem, Thessali filium *).

A Polybo, Hippocratis genero, profectam esse alteram saltem sectionem, docere videtur manifestum et disertum Aristotelis, optimi iudicis, testimonium, qui, veterum auctorum, Diogenis Apolloniatae, Syennesis Cyprii, et Polybi opiniones de venarum corporis humani origine et decursu adlegans, ipsis fere verbis citat, tanquam Polybi, eam venarum descriptionem, quam tum in libri nostri sectione posteriore, tum etiam in libro περὶ φύσιος ὀςέων, (p. 275. ed. Foës.) legimus **). De manca hac ac pene absurda venarum descriptione postea plenior erit et vberior sermo. Neque tamen haec ipsa pars integra esse videtur, cum voces variae in eadem occurrant, quae inferiore demum aetate introductae, Polybi temporibus nondum increbuerant, e. g. ὀυρήματα pro οὖρα ***). cet.

16.

Neque Hippocratis magni, neque genuini ipsius asseclae esse potest hoc scriptum, cum manifesto contrarias proferat auctor opiniones Hippocrateis. Etenim in fine ἀμφημερίνας ἀπαλλάσσειν τάχιστα „*amphimerinas solui citis-* „*sime*

*) Galen. Comm. in h. l. p. 2.

**) Aristotel. Histor. Animal. lib. III. c. p. 241.

***) Galen. Comm. in h. l. p. 27.

„*sime omnium febrium*" iudicat, cum tamen Hippocrates ipse tertianas solutionem facillimam pati credat *). Contrarium quidem hoc commentum omni adeo experientiae videtur, vt effingi haud quaquam potuerit, nisi a male feriatis *ταῖς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ προφητεύσασι*, vt Galeni verbis vtar, *οἱ μηδένα πώποτε θεασάμενοι νοσοῦντα, σχολαστικοὺς ἐπέτριβον* **).

17.

Denique Hippocrati hunc librum abiudicandum esse censeo, quoniam ratiocinia ea, quae hic continentur, longe aliena ab Hippocrate nostro eiusque doctrina esse videntur. Etenim notissimum est, et a tota fere antiquitate perhibetur, philosophiam ***) esse ope Hipppocratis segregatam ab arte medica, neque legitur in vllo libro eorum, qui, tanquam genuini, circumferuntur, ratiocinium, quod scholam quandam antiquam saperet. Neque vllibi eius philosophandi generis, quod hic quidem deprehendimus, vestigium legitur. Doctrinam enim de quatuor elementis et quatuor humoribus, eorumque mixtione, diserte tuetur auctor contra eos, qui et rerum vniuersitatem, et hominem ex vnico tantum elemento constitutum esse contenderant.

18.

*) Aph. IV, 59. et aliis passim locis.

**) Comm. h. l. p. 29.

***) Cels. De Medicin. Praef. L. I.

18.

Itaque ex his luculenter patere videtur, neque Hippocrati, neque alii cuidam veterum auctorum vnice esse tribuendum hunc libellum, ſed ex variis, iisque partim perantiquis, partim recentioribus fragmentis esse conflatum, et quidem temporibus φιλοκερδίας Alexandrinorum, qui, quo maiorem acciperent pecuniae copiam a regibus ἀντιφιλοτιμουμένοις Pergamenis et Aegyptiis, consarcinasse varios alios, vt et hunc tractatum, videntur.

Accedit huc quidem varietas rerum, quae hic tractantur, accedit adfectatio dialecti Ionicae et conſcribendi generis Hippocratici, quod genuinam haudquaquam esse, ſed imitationem ludicram, cuique patebit, qui absque praeiudicata opinione legere hunc librum cupiuerit, et cum ſimplicitate Hippocratea contulerit.

SECTIO III.

ARGVMENTVM LIBRI.

19.

Summa, de qua iam loquutus ſum, argumentorum varietas paullo vberius nos cogit exſpatiari in inquisitionem dogmatum, quae hic quidem liber quam maxime continet. Itaque quamquam multifaria est rerum, quae

in

in hoc libro tractantur, varietas, capita tamen adsunt praecipua quaedam, quorum primum versatur in elementis quatuor et quatuor humoribus ſtatuendis, ſecundum in diſtinguendis morbis popularibus ab aliis, tertium in venarum deſcriptione, quartum denique in variis morborum obſeruationibus.

CAPVT I.

DE ELEMENTIS ET ELEMENTARIBVS CORPORIS HVMANI HVMORIBVS.

20.

Auctor huius libri ita orditur, vt vnum esse non posse hominem contendat, ſed ex quatuor conflatum elementis. „*Quisquis*, inquit, *audire conſueuit eos, qui de natura humana vlterius enunciant, quam ex ipsius ratione ad artem medicam ſpectet, huic non expedit quidem, vt hasce audiat rationes.*" Quibus omnino verbis ſignificat auctor, ſe philoſophiam vltra, quam expediat atque vtile ſit medico aut phyſiologo, tractare nolle, itaque ea contentum esse philosophia, quae, quantum natura in corpore humana faciat aut ferat, doctura ſit. „*Non enim in vniuersum dicimus hominem aerem esse, neque ignem, neque aquam, neque terram, neque aliud vllum, quippe quod apertum non est vnum in homine esse. Permittimus autem haec loqui, prout velint.*" Addit deinde, disceptari ſemper a doctis philoſopis de natura elementi, quod ſupponant vnicum esse, atque in his quidem discepta-

tioni-

tionibus eum excellere, *ᾧ ἂν τύχῃ μάλιστα ἡ γλῶσσα ῥυεῖσα πρὸς τὸν ὄχλον*, *„cui forte in coetu contigerit linguam maxime fluen-„tam esse.“* Se vero nolle his argutiis immorari, neque ab eorum medicorum partibus posse se stare, qui hominem vel ex solo sanguine, vel ex pituita, vel ex bile sola conflatum ac compositum esse arbitrentur. Quodsi enim *vnum* extsitisset homo, nullo vnquam tempore dolere potuisse: Neque enim esset, a quo dolore afficeretur, siquidem *vnum* esset. Quin imo si doluerit, necessariam esse vnicam medelam. Nunc autem dari multas. In corpore enim esse multa, quae morbos creent, si quando mutuo praeter naturam calefiant et refrigerentur, siccenturque atque humescant. Quam ob rem multas etiam existere morborum species, sanationesque ipsorum multas. Non posse insuper vnum esse hominem, qui generetur: Nullo enim modo quidpiam vnum existens aliud generaret, nisi cuipiam misceretur, nisique calidum cum frigido, siccum cum humido mediocritatem et aequalem temperiem inter se mutuo habeant, sed alterum altero multo excellat, generationem fieri non posse. Itaque necessarium putat auctor, hominis corpore intereunte, secedere ad suam ipsius naturam vnumquodque, humidum ad humidum, siccum ad siccum, frigidum ad frigidum, calidum ad calidum.

Hominem vero constare ex sanguine, pituita et duplici bile, atra nimirum et flaua, sanum esse hominem,

cum

cum haec mediocriter ſe habeant ad inuicem, atque ſi maxime ſint mixta. Nec vnum esse hos quatuor humores, ſed vere diuersos. Itaque medicamenta etiam eo agere modo, vt id attrahant, quod germanum ipsis ſit, alia itaque ſanguinem ducere, alia pituitam, alia denique vtramque bilem.

21.

Haec prima pars argumenti huius tractatus versatur itaque in elementis quatuor constituendis et refutandis eorum opinionibus, qui ex vnico conflari omnia elemento ſtatuebant. Horum quidem primus fuit THALES, Mileſius, ſtator quasi et auctor vniuersae philosophiae Graecanicae, qui ex aqua progenita esse omnia contendebat. Fortassis hanc habuit opinionem, quia nutrimentum omnium humidum esse videbat, ipsum quoque calidum ex eo factum, eoque animal viuere, exquo autem aliquid fit, id esse principium omnium. Sunt autem quidam, qui etiam antiquissimos illos, et primos θεολογήσαντας ſic arbitrantur de natura ſensisse. Oceanum enim et Tethyn generationis parentes esse cecinerunt. Iusiurandum quoque deorum aquam esse, στύγα ab ipsis poëtis appellatum *). THALETIS quidem haec opinio in corporis animalis structuram egregie quadrat, quippe quae ex fluidis ſolis originem ducit.

*) ARISTOTEL. Metaphyſ. lib. 1. c. 3. p. 1229.

cit. Alia autem elementa ex aqua posse oriri, cum haec concrescat, aut fundatur siue attenuetur. Ex concreta nimirum aqua oriri terram, ex fusa autem, et attenuata ignem et aërem *). Hinc itaque patet transmutationem et μεταμόρφωσιν elementorum receptam esse a THALETIS asseclis, vt corporum mixtorum originem declararent.

22.

Primus autem philosophus, qui commentum illud, quod auctor libri nostri impugnat, vnicum nempe esse elementum, demonstrare conatus est, fuit XENOPHANES **), Colophonius, Pythagorae quidem auditor, propriis tamen et peculiaribus dogmatibus clarus. Hic enim, vnum esse omnia, neque id esse mutabile, et id esse Deum, aeque natum, et sempiternum, et conglobata figura, contendit ***). ARISTOTELES hanc declarans XENOPHANIS opinionem, haudquaquam, physiologorum more, vnum supponi ait ipsum ens, tanquam vniuersum ex vnica oriretur materia, sed ἀκίνητον εἶναι τὸ πᾶν statuit. Itaque hinc οὐδὲν διεσαφήνισεν, vt loquitur ARISTOTELES, neque diserte significauit, se vnitatem materiae siue formae intelligere, sed

*) GALEN. Comm. in h. I. p. 5.

**) Cf. Liber de XENOPHANE, ZONONE, GORGIA, Aristoteli vulgo tributus passim illustrat. commentatione, auct. FÜLLEBORN, Hal. 1789. 8.

***) CIC. Acad. Quaest. lib. IV, c. 37.

ſed cohaerere tantum vniuersum, immutabile esse, quod formam ſpectat ipsumque Deum esse *). Vnitatem Dei his commentis primus demonstrasse videtur philosophus Colophonius.

23.

Aliud tamen dogma, quod XENOPHANI tribuitur, curatiorem requirit inquisitionem, cum auctor libri nostri id praeprimis impugnet. Versus enim quidam exstant apud SEXTVM EMPIRCVM **), XENOPHANI adiudicati, in quibus ex terra gigni omnia, ipsosque homines ex terra et aqua progenitos esse docetur.

Ἐκ γαίης γὰρ πάντα καὶ εἰς γῆν πάντα τελευτᾷ.
Πάντες γὰρ γαίης τε καὶ ὕδατος ἐκ γενόμεσθα.

Quam XENOPHANIS opinionem repetitquoque PLVTARCHVS apud EVSEBIVM ***). Hoc maxime auctor noster collineare videtur, dum, nec terram posse, tanquam elementum, constitui vnicum, ex quo omnia ſint generata, dicit. GALENVS in commentario ad hunc locum taxat atque reprehendit eos, qui paullo ambitiosius quaesiuissent, quisnam is ſit, qui censuerit, ſolam terram esse elementum, ſuperfluam esse hanc

*) ARISTOT. Metaphyſ. lib. 7. c. 5. p. 1235.

**) Aduerſ. mathemat lib. X. S. 313. 314. Cf. Schol. minor. ad Il. η. 99.

***) Praeparat. euangel. lib. I. c. 8. p. 23.

inquisitionem, quum multa fuerint dicta et excogitata commenta a variis et philosophis, et medicis, qui vel nunquam litteris ea consignauerint, vel quorum scripta iam dudum perdita fuerint, perperam nonnullos interpretes XENOPHANEM accusare, velut SABINVM, qui ſic ad verbum ſcripserit; *Non in vniuersum dicimus hominem aerem esse, velut* ANAXIMENES, *neque aquam, vt* THALES, *neque terram, vt* XENOPHANES in quodam loco. Nullibi enim pergit deprehendi XENOPHANEM id enunciasse, imo obscurum non esse credit GALENVS, SABINVM ipsum ſponte ſua et fraudulenter mentitum fuisse, non per ignorantiam ductum in errorem.

Quodsi vero libere, quid ſentiam, dicere mihi liceat, equidem palam confiteor, GALENVN nimis temere ac inconſulto ARISTOTELEM ſequi mihi videri. Hic enim diserte negat, terram a quoquam, velut elementum, fuisse constitutam. Διὰ τί ποτ᾿ ὄυ καὶ τὴν γῆν λέγουσιν, ὥσπερ οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων *), ARISTOTELES vero hoc loco eos tantum existere negat philosophos, qui terram ſolam cenſuerint elementum, ſed cum XENOPHANES ex terra et aqua conflatum mundum ſtatuisse dicatur, ad hunc ſpectare ac pertinere ARISTOTELIS locus nequaquam videtur. Quatuor enim testimonia manifesta 1. auctoris libri nostri 2. SABINI 3. PLVTARCHI apud EVSEBIVM 4. et SEXTI EMPIRICI

*) ARISTOL. Metaphyſ. lib. c. 7. p. 1239.

RICI omnino aliquid valent contra vnicum, et male quidem intellectum ARISTOTELIS dictum, et contra ipſum GALENVM, nimis fidum philoſophi clariſſimi aſſeclam.

24.

Vniuerſi vnitatem diſcipulus XENOPHANIS, PARMENIDES, Eleaticus, ita demonſtrauit, vt, praeter vere exiſtens nihil exiſtere, vere exiſtens itaque vnicum eſſe, neque praeterea quidquam, diceret *), (Παρὰ γαρ τὸ ὂν τὸ μὴ ὂν ὀυδὲν ἀξιῶν ἐιναι, ἐξ ἀνάγκης ἓν ὄιεται ἐιναι τὸ ὂν, και ἄλλο ὄυδεν) itaque ſecundum rationem vnitatem hanc adſumendam eſſe iudicauit, atque omnem inde modificationum viciſſitudinem, mutationum varietatem, ſubſtantiarum copiam omnino excluſit ab hoc vno **). Hinc igitur putaueris, ſimplex quoddam PARMENIDEM intellexiſſe, vel deum extra mundum, niſi diſerte et ſignificanter ARISTOTELES hoc negaret, cum dixerit PARMENIDEM praeter ea, quae ſenſibus percipiantur, nihil ſtatuere ***). (Ἐκεῖνοι δὲ, διὰ τὸ μηδὲν ἄλλο παρὰ τὴν τῶν αἰσθητῶν ὀυσίαν ὑπολαμβάνειν εἶναι, τοιαύτας δέ τινας νοῆσαι πρῶτοι Φυσεις, ἔιπερ ἔσταί τις γνῶσις ἢ Φρόνησις, ὄυτω μετήνεγκαν ἐπὶ ταῦτα τοὺς ἐκεῖθεν λόγους. Vnum hoc praeterea vniuerſum immutabile eſſe, et nullum

*) Ib c. 5. p. 1234.

**) Ib.

***) Ib. de coelo, lib. VIII. c. 1. 654.

lum exiſtere locum, nullum motum, nullum denique tempus, ſed phaenomena haec omnia mera esse iudicauit, quod οὐκ ἐςὶ περὶ φύσεως σκοπεῖν, arbitratur Stagirita *).

25.

Sequitur Parmenidem Melissvs, Samius, Hippocratis magni tempore aequalis, qui vnum esse vniuersum absque partium varietate, et hoc, quod infinitum ſit, et immutabile, et ſemper fuiſse, et ſemper fore, neque corporeae indolis esse, neque ad elementa quatuor nota pertinere iudicauit **). Cum κατὰ τὴν ὕλην vnitatem vniuersi docuerit Melissvs, ψευδῆ λαμβάνειν καὶ ἀσυλλόγιστον εἶναι Aristoteles contendit, quoniam, ſi τὸ ὂν infinitum ſit, quantitatem habet, ſimul itaque ſubſtantia est et quantitas, est itaque non vnum, ſed duo. Quae quidem contradictio manifesto inhaeret ratiocinio Melisseo. Hinc etiam, nihil generari, fatetur, neque ſensum esse vllum, neque intellectum, quae quidem commenta inprimis impugnat auctor libri nostri!

26.

Contra ratiocinia Melissi ita noster militat, vt experientiam ducem et magistram ſolum agnoscat, vt itaque gi-

*) Id. Plato Theaetet. p. 85. 96. — Cic. Acad Quaeſt. lib. IV, c. 37.

**) Id. Phyſic. lib. I. c. 2. p. 442.

gigni aliquid, mutari corpus nostrum, ſentire et moueri certitudine *empirica* perhibeat: Ex quibus deinde experientiis haudquaquam vnum esse vniuersum, ſed varium et ex diuersis conflatum elementis efficit. Methodum hanc, experientia duce, dirimendi litigia philosophorum, vere Hippocraticam, medicam, empiricam esse, eamque, quam Baco Vervlamivs, quique eam nuperis ſequuntur temporibus, optauerunt, cuicunque patet. Philosophi autem, qui a rationis principiis ordiuntur, eadem contenti esse nunquam possunt.

27.

Superest, vt de duobus reliquis elementis, quae vnica a quibusdam philoſophis graecis ſtatuebantur, pauca dicamus. „*Neque aerem ſolum, neque ignem esse hominem*, perhibet libelli hippocratei auctor.

Aera infinitum, et ea, quae ex eo orirentur, definita, gigni autem terram, aquam, ignem, tum ex his omnia, ſtatuit Anaximenes, Milesivs, Anaximandri diſcipulus (Olymp. VI.), experientia doctus, quae aere mutari omnia et in aera pleraque euaporare docet. Experientia quoque ostendit, nullum corpus nullumque elementum tam faciles pati mutationes et vicissitudines, quam aera *). Ipsam quoque mentem humanam aera esse, et aera, qui mun-

*) Cic. Acad. Quaeſt. lib. IV. c. 37. — Aristot. Metaphyſ. lib. I. c. 3. p. 1129.

mundum ambeat atque regat, velut animam mundi, considerari posse. Nequaquam vero esse aera hunc atmosphaeram nostram ſensibus percipiendam, ſed ἀναιςθητὸν quid, quod λόγῳ tantum percipiatur, et motu ſempiterno gaudeat. Ex πυκνουμένῳ et ἀραιουμένῳ aere omnia putat oriri, inde aquam, terram, ipsosque lapides, hinc ignem *). Vnde patet Franklini opinionem, quam Cl. Lichtenberg nuper egregie exposuit, Anaximenis phyſiologia peruetusta iam comprendi **).

28.

Vltimum philosophicum dogma, eorum, qui vnitatem elementi adsumebant, ab auctore nostro confutatum, est Heracliti, Ephesii, qui ex igne omnia prodiisse, mutato igne, elementa cetera oriri perhibuit. ὅτι γῆς θάνατος ὕδωρ γενέσθαι, καὶ ὕδατος θάνατος ἀέρα γενέσθαι, καὶ ἀέρος πῦρ, καὶ ἔμπαλιν. ***). Παραλλάξεως itaque ratione oriri reliqua elementa, et incrassatione praeprimis ignis et aerem, et aquam, et terram, credidit ****). Ignem praeterea elementarem motu continuo gaudere, cumque ignis vniuersum ſit, vniuersum etiam continuo fluere, neque per vnici momenti tempus idem manere. Hinc etiam corpus humanum igne regi, atque functiones omnes ope huius

*) Origen. Philoſoph. c. 7. p. 886. ed. de la Rve.

**) Cl. Sprengel's Beyträge zur Geſchichte der Medicin. St. 2. S. 240.

***) Marc. Antonin. εἰς ἑαυτὸν, lib. IV. c 46.

****) Clem. Alexandr. Strom. lib. V. p. 549.

huius elementi perfici. Mentis humanae igneam indolem, quam alii deinde professi ſunt, primus omnium perhibuit, ductus forsan obseruatione incalescentis corporis, dum ſumma cum attentione et continuo cogitamus *).

29.

Horum itaque philosophorum dogmatibus refutatis, transit auctor ad quatuor elementorum et humorum totidem corporis elementarium praesentiam euincendam. Quatuor esse elementa corporis cuiusuis, adsumit ex theoria tum Empedoclis, tum aliorum philosophorum, qui ipsum praecesserant. Ratio autem, quae Agrigentinum philosophum coegerat, ad quatuor respicere elementa, haec fuisse videtur.

Thaletis elementum, aquam, Anaximenis aera, Heracliti ignem, Xenophanis terram, cum ſingula ſufficere non putaret ad mundi generationem, omnia haec ſimul complexus est. Insuper adhaerens Pythagoreae disciplinae, quae μονάδα origenem omnium rerum esse ſtatuerat, (assumserat autem ἐναντιώσεις decem ſeu contrarias qualitates, ex quibus progenita crederet omnia), Empedocles quatuor tantum has ἐναντιώσεις, easque iunctas effinxit, quae iampridem ſingulae notae essent **).

30.

Caussas efficientes ortus corporum ex quatuor hisce elementis ſymbolice nominibus *amicitiae* et *inimicitiae* insigni-

 uit,

*) Stobaevs Eclog. phyſic. lib. I. c. 25.

**) Aristot. Metaphyſ. lib. I. c. 3. p. 1129.

uis, vt vim attrahentem et repellentem exprimeret. Ope amicitiae quaecunque oriri, interitum vero omnium inimicitia produci, neque reuera corpus quoddam oriri, neque interire, ortum et interitum igitur nihil esse, nisi mutationis *μεταλλοιώσεις*, nec orta esse ea elementa, ſed ſempiterna, componi autem ope vnitatis *) ſtatuit.

Hinc itaque transformari haudquaquam et misceri credidit Empedocles haec elementa, dum corpora oriantur, ſed *κατὰ μικρὰ μορία παρακεῖσθαι τε καὶ ψαύειν* ſecundum accidentales qualitates **). Ex his lucem accipiunt versus, quos Aristoteles ex Empedocle adlegat ***).

Ἧ μὲν ἓν ἐκ πλειόνων μεμάθηκε φύεσθαι,
ἢ δὲ πάλιν διαφύντος ἑνὸς πλέον ἐκτελέθουσι,
τῇ μὲν γίγνονταί τε καὶ ὀύ σφισιν ἔμπεδος αἰών,
τῇ δὲ διαλλάσσονται διαμπερὲς, οὐδ᾽ ἅμα λήγει,
ταύτῃ δ᾽αἰὲν ἔασιν ἀκίνητοι κατὰ κύκλον.

31.

Magna inde et memoratu dignissima elucet differentia theoriae Empedocleae et eius, quam auctor libri nostri in medium profert. Hic enim primus forsan videtur *κρᾶσιν* veram elementorum adsumisse, vt ortum corporum inde explicaret, cum Empedocles tantum ad *τὸ προσκεῖσθαι* prouocauerit. Quod a Galeno quidem manifesto animadversum, a nullo recentiorum ſcriptorum historiae philosophicae adnotatum est.

32.

*) *Ib.* — Plvtarch. adv. Colot. p. 1113.
**) Galen. Comm. in h. l. p. 6.
***) Phyſic. lib. VIII. p. 564.

32.

Accedo ad clarissimam illam theoriam, quam auctor *de humoribus quatuor corporis elementaribus* profert, et primus quidem omnium, vt mihi videtur. Etenim Empedocles ipse non, nisi ſuspensa manu et quasi aliud agendo hanc physiologiae partem attigit. Partes enim hic et membra corporis humani ex elementorum aequali vel inaequali ratione declarans, vltra tamen haudquaquam progressus est *), in nostro autem libro doctrina de quatuor humoribus elementaribus vberrime exponitur. Neque tamen omnino dilucidare valeo obscuritatem primae inuentionis huius dogmatis, neque definiendum mihi esse arbitror, ſitne noster auctor verus huius theoriae ſtator, ſiue Plato. Quum enim aetas huius libri determinari nequeat, ob fragmentorum varietatem, e quibus componitur, ecquid impedit, quo minus ex Platonis Timaeo, vbi commentum hoc de quatuor humoribus elementaribus diserte exponitur, desumta ſit etiam haec libri nostri particula?

Quicquid ſit, hoc tamen certissimum est iam diu ante Platonem doctrinam illam de quatuor humoribus corporis cardinalibus quadantenus viguisse, cum Anaxagoras aetate prior febres plerasque ex bile ſlaua originem ducere ſtatuerit **).

33.

Quatuor humores vere existentes in corpore humano ita demonstrare conatur auctor noster, vt ad euacuatio-

*) Plvtarch. Phyſic philoſoph. decret. lib. V. c. 22.

**) Aristoteles De partibus animal. lib. IV. c. 2. p. 1172.

tiones eorum inspiciat, empiricam iterum optans methodum, nec a priori ratiocinans, more ceterorum antiqui aeui philosophorum. Methodus haec, cum ratione medicinae Hippocraticae optime congruens, genuinum ſaltem HIPPOCRATIS discipulum fuisse auctorem huius particulae, aut fragmentum isthoc esse ipsius HIPPOCRATIS, quodammodo docere videtur.

CAPVT. II.
DE MORBIS ANNIVERSARIIS ET POPVLARIBVS.

34.

Pergit auctor in confirmandis commentis ſuis de quatuor humorum dominio, dum comparat morborum anniuersariorum indolem cum hisce humoribus. Pituitam hieme dominari contendit, (vtramque enim frigidissimam esse, quod tactu percipi possit) homines quoque hieme φλεγματωδέστατον ἐκμύσσεσθαι, et tumores albos, et morbos ceteros pituitosos tunc frequentes ac communes esse. Vere pergit pituitam in corpore adhuc manere, et ſanguinem augeri caloribus diurnis, (consentire enim ipsi hanc anni partem) homines etiam maxime vere et aestate dysenteriis corripi, et haemorrhagias e naribus pati, et calidissimos esse, et maxime rubentes. Aestate et ſanguinem robur obtinere adhuc, et bilem ſese in corpore efferre, ſponte itaque homines euomere bilem, et, epotis medicamentis, bilis maiorem copiam deiicere, autumno denique nigram bilem aestuare ſtatuit.

35.

Hic quidem prima terminatur particula libri. Altera pergit in contrariis medelis ſtatuendis. Haud commoda semper esse ea, quibus homo in victu vtitur, necessarium itaque esse, vbi didiceris, immutare, et, habita ratione aetatis, et formae humanae, et tempestatis annuae, et modi aegritudinis, curationem adoriri, interim quidem ſubtrahendo, alioquin addendo, ſpectatis ſingulis aetatibus et formis aegritudinum. Cum vero morbus popularis graſſatur, clarum esse ait, quod, quae ad victum ſpectent, minime ſint in caussa, ſed id quidem, quod respiramus et ſpiritu attrahimus.

36.

Duae hae manifesto diuersae ſectiones ordine ſunt considerandae, et prima quidem ſectio morbos anniuerſarios tractat, quales in Graecia et Asia minore vulgo obſeruantur: vbi ſimul auctor quatuor istos humores elementares, tanquam ſanitatis et aegritudinum caussas, exponit. Quod ad anni tempora ſpectat, quatuor vulgo apud Hippocratem numerantur, quorum primum

1. *Hiems est.* Incipit pleïadum occasu heliaco, (Nov. 6.) et terminatur arcturi ortu acronyctico (Febr. 17.).

2. *Veris* initium ad vltimam hanc diem, et finis cum ortu pleiadum heliaco (Mai. 7.) contingit.

3. *Aestas* ab hac demum periodo incipit, et terminatur occasu pleïadum heliaco (Nov. 6.) *).

§. 37.

*) Sprengel's Apolog. des Hipp. Th. II. S. 53. f.

37.

His quidem anni temporibus auctor libri nostri ita morbos anniuersarios applicat, vt hieme pituitam, vere sanguinem, aestate bilem, autumno atram bilem dominari statuat. Quam obseruationem partim confirmatam legimus in aliis libris Hippocrateis, iisque sine dubio genuinis. In libro περὶ ἀέρων, τόπων καὶ ὑδάτων aestate, quae ver humidum sequatur, dysenterias, autumno vero febres intermittentes et hydropem, hieme nonnunquam inflammationes, tum vero catarrhos, coryzas, tusses ipsasque phthises grassari perhibetur. Ita quoque in aphorismorum sectione tertia variae adduntur sententiae, quae tum confirmare, tum curatius finire valent id, quod auctor noster hic paucissimis profert.

38.

Hae autem obseruationes in Graecia institutae, ibidem etiamnum valent, nec omnino in aliis regionibus. Vicissitudines enim aeris temperiei in patria mea *) multo vehementiores sunt, quam in Germania. Aestate et verno tempore, dum nix in montibus Thracicis liquefacta ventos boreales frigidissimos facit, noctes aestiuas vernasque frigore obseruamus inprimis noxias. Hinc inflammatoria con-

*) Cf. hac de re Cl. Finke Versuch einer medic. practischen Geographie, I. Band, Leipz. 1792. S. 111. seq. et Band 3. S. 93. Noxas exinde oriundas in Hispania ad vinum expressit Thiery v. Phys. med. Beobachtungen an verschiedenen Orten in Spanien gesammlet, B. 1. 2. Hildburgh. 1794. 8.

constitutio verno tempore inprimis in insulis Archipelagi dominatur, calor autem aestiuus humores secretos contaminat atque corrumpit, vnde bilis maxime abundantia et acrimonia nascitur. Hiems vero humida et frigida transpirationem sufflaminat, catarrhos et alios morbos pituitosos generat.

39.

Adiuncta alius auctoris de morborum popularium dominio propositio in se quidem bona, sed paullo leuior est, cum in vere occultam qualitatem, qua morbi populares producantur, inesse statuat. Nec nostris etiamnunm cultissimis temporibus meliorem explicationem *) aliquis inueniat, qua recte vti possimus ad dilucidandum τὸ θεῖον **) in aere, cuius ope et viuimus, et aegrotamus, et morimur.

*) Tentarunt varie varii auctores rei obscurae modum, sed sine naturae auctoritate Cl. Weikard (kleine Schriften Mannh. 1782. n. 1.) grauedines, destillationem narium et artuum dolores a quodam occulto aeris vitio, non ab transpiratione cutis suppressa repeti oportere censuit, Perill. Crell (Diss. historiam catarrhi epidem. a. 1782. p. 94.) caussam quaerit in aeris phlogisticati nimis aucta quantitate, Birnstiel (De dysenteria liber, Mannhem. 1786.) iterum in aliam ingreditur opinionem. Quantum est, quod nescimus!

**) Cf. Hier Iordanis De eo, quod diuinum aut supranaturale est in morbis hum. corp. eiusq. curatione liber, Frft. 1651. et G. G. Richter Diss. de diuino Hipp. Gotting. 1739. recus. in Opusc. med. T. I. n. 4. p. 42. seq.

mur. Equidem non nescio, ad oxygenes principium, tanquam pabulum vitae, ad azoticum aut carbonicum principium, tanquam materiem, qua vita et periclitatur, et fufflaminatur, a chemicis antiphlogisticis respici, nihilominus tamen nemo ad hunc vsque diem recte determinasse videtur, qualia aeris principia in hac, qualia in alia epidemica constitutione quammaxime praeualeant. Hoc in casu praestat fine ratione esse, quam cum commentitia explicatione delirare aliosque fpeciosis argumentis fallere. *Opinionum commenta*, bene monente TVLLIO, *delet dies*.

CAPVT III.

VENARVM DESCRIPTIO.

40.

Quod fi vnquam hunc librum esse recentiorem aetate Hippocratea efficere potuerim, hoc tamen loco barbaries primordiorum anatomicae cognitionis ita elucet, vt regeri et in contrarium adferri fere nihil possit. Absurda illa venarum corporis delineatio ita ab auctore nostro proponitur.

„Corpus humanum quatuor paria venarum habet. „Et ipsorum quidem vnum a capite retro per ceruicem „parte externa tendit ad vtrumque latus fpinae, et inde „peruenit in coxendices, et in crura tibiasque, nec non „et in malleolorum externas partes atque in pedes. Aliae „autem venae, quae a capite initium habent, iuxta aures, „iugulares vocatae; Eae tendunt per ceruicem parte in„terna delatae a cava ad fpinam et ad lumbos, nec non ad „testes

„testes, femoraque et per internas poplitum partes, inde „per tibias ad internas partes malleolorum atque in pedes. „Tertiae autem venae a temporibus per ceruicem ſub „ſcapulas tendunt, postea vna in pulmones feruntur, et „perueniunt quidem hae a dexteris in ſinistra, illae vero „a ſinistris in dextra. Et dextra quidem a pulmone ſub „mammam peruenit in lienem renemque, quae vero a „ſinistris in dextra a pulmone ſub mammam peruenit in „iecur et in renem: Vtraeque autem desinunt ad anum. „Quartae autem a capitis parte antica et ab oculis ſub col- „lum et iugula tendunt, dehinc a brachiis parte ſuperiore „in flexum cubiti, ac poſtea per cubitos ad manus vs- „que etc."

Ex hac insana venarum descriptione ſectionem earum ita instituendam esse censet, vt longissime a loco adfecto ſanguis detrahatur.

41.

Oleum et operam perdidisse mihi videor, ſi omnino falsam esse hanc venarum descriptionem multis monstrare ſatagerem, quae nostri aeui tonsoribus melior iam innotescit. Memoratu tamen dignum est, et SYENNESIS, Cyprii, et DIOGENIS, Apolloniatae, et auctoris libri περὶ φύσιος ὀςέων angiologiam (S. 15.) huic descriptioni et diuiſioni perquam ſimilem esse.

42.

Omnino vero descriptio in eo versatur, vt alternorum membrorum consensum et conspirationem ope vasorum doceat. Hinc etiam venarum ſectionem e locis remo-

tis instituendam esse auctor perhibet, in quo contrarius est Hippocratis genuinae doctrinae, qui e locis adfecto proximis ſanguinem esse detrahendum docet *). Nonne obseruatio, oppoſitam esse in morbis neruosis et paraliticis ſedem mali locis adfectis, huic theoriae ansam praebuit, cum nerui nondum satis bene essent detecti? Aretaevs ſaltem post nostrum auctorem primus fuit, qui venaesectionem in locis remotis ab adfecto commendauit **). Litis autem de vena in pleuritide ſecanda, ſeculo XVI. clarissimae et feruentissimae inter Arabiſtas et Brissotvm, et qui eius ab partibus ſtabant, historiam cum alii iamiam copiose ac late enarrauerint ***), non repetendam esse autumo, cum ad finem libelli ob instituti rationem et breuitatem temporis ſit properandum.

CAPVT IV.

DE MORBIS VARIIS ANIMADVERSIONES.

43.

Sine ordine vllo adiicit auctor varias obseruationes, cum doctrina Hippocratica haudquaquam consentientes. Et primo quidem loco prognosin phthiseos attingit, quam ex ſcreatu copiosi puris et lotii turbulenta indole format, deinde ex vrina arenulis repleta et turbulenta morbos renum et vesicae dignosci, febrium maximam partem ex bile oriri, quaternum tamen earum numerum ex quatuor humoribus cardinalibus diiudicandum esse contendit. Quae vero, cum partim iam antea ſatis (opinor) explicata ſint, partim explicatione non egeant, pedem hic figo, lectoribus rogatis, vt aequi bonique consulant tentamen, in caligine ſumma, qua libellus noster inuoluitur, lucem qualemcunque diuinandi.

*) Sprengel's Apolog. des Hippocr. Th. II. S. 328.

**) Curat. acut. lib. I. c. 10. p. 89. 90.

***) Sprengels Geſchichte der Arzneyk. Th. III. S. 38.